







DISSERTATIO ACADEMICA No: 927.  
DE 1753, 16.

UTILITATIBVS  
QVAS ATTVLIT PHILOSOPHIA  
AD IVRA ET IVRISPRVDEN  
TIAM ROMANAM

---

QVAM  
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDE  
MARTINO GOTTLIEB  
PAVLI

IVR. VTR. ET PHILOS. DOCTORE

DIE V. MENS. APR. A. O. R. MDCCLIII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

RESPONDENS

IACOBVS RINGELTAVBEN

THORVNO PRVSSVS.

---

LIPSIAE

APVD GEO. WILH. POUILLARD.

*L. Müller*




IOANN. GVILIELMVS HOFFMANNVS

*in Praefat. ad Obseruat. Iur. Germ.*

Dicam, si fieri potest, propitiis auribus, si minus etiam iratis, iuris prudentiae nostrae succum auferri et ossa detegi, si nihil praeter illud, quo iudicis aures obtundi possunt, disputare liceat, ita pulcherrimam scientiam & amplum ingenii exercendis campum daturam ad aliqua defidiae diuerticula redigi; prudenter a quaestu separari nomen eruditio- nis, sanctius illud quidem quam ut ad auerruncandam famem excogitatum fuisse credatur; inferioribus ingenii praescriptum esse, ne la- tius excurrant, quam quoad tinnientis nummi sonum exaudire possint, si quae vero sint agilia, illis forte nimis angustum, quo vires exer- ceant & exultent, mercenarium hoc studium fore, quin amplius ape- riendum sit, tamen in eo nullum, praeter sui simulum laudes, prae- tium propositum sentiant; ac in vniuersum voluptatem magnam pe- tire, nisi liceat mentem actu & pulvere forensi attritam

lactioris doctrinae blanditiis reparare.





S. I.



uit haec semper doctorum hominum opinio, atque etiam nunc in omnium animis versatur, omnem veram et solidam iuris prudentiam ex intima philosophia esse petendam. Et recte quidem ita non tantum existimant prudentiores, sed optant sine dubio simul omnes, qui bene cupiunt iuris prudentiae nostrae, ut tandem in mores homines que transeat commemorata sententia. Etenim nullibi magis, quam ex philosophia elucet, quid sit homini tributum natura, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendi que causa nati et in lucem editi sumus, quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos. His autem explicatis, recte ait CICERO *de Legib. Lib. I. cap. 5.* *Fons legum et iuris inueniri potest*, atque statim subiungit: *Non ergo a praec-*



toris edicto, ut plerique nunc, neque a XII. tab. ut superiores, sed penitus ex intima philosophia haurienda est iuris prudentia.

§. II.

Atque hoc prudens TULLII consilium, quod a Romanis iam olim fuerit probatum, non sine probabili ratione testantur mores et instituta vitae res que domesticae et familiares, et omnis eorum res publica, quam optimis temperatam fuisse legibus et institutis, tam certum est, quam quod certissimum. Sed saepe multum que hoc mecum cogitavi, qualem demum quantumque utilitatem attulerit ad iura et iuris prudentiam civilem philosophia Romanorum et summum eorum sapientiae studium? Ac me quidem, diu cogitantem, ratio ipsa in hanc potissimum sententiam duxit, ut existimem, huius rei expositionem distinctam et circumspectam in ipsa iuris prudentia utilitatis fructus praebere vberimos. Cum autem mihi circumspicienti hucusque obuenerit nemo, qui hanc rem, quemadmodum quidem mea fert opinio, cogitate exposuerit, atque ego per eas horas, quae mihi ab aliis laboribus vacuae relictæ fuerunt, frequenter et nunquam sine summa animi mei voluptate eam mecum agitarim: laborem non plane inutilem aut ingratum me suscepisse existimo, si quas vel legendo inueni, vel cogitando detegi coniecturas, hac scriptioe publice exponerem et cum erudito orbe communicarem.

§. III.

Statim ab initio huius scriptioe vero paucis repetenda mihi esse videtur verae illius philosophiae apud Romanos, ab aliis quidem satis explicata, origo, sed, ut arbitror, apta ad id, quod



quod quaerimus, ut cognoscamus, quasnam illud summum Romanorum sapientiae studium ad iura et iuris prudentiam eorum attulerit utilitates. Cogitanti autem mihi, atque memoria philosophiae initia et fata apud Romanos repetenti, illi rem omnem ac tetigisse videntur, qui populum Romanum per sex priora ab V. C. faecula solida philosophiae cognitione destitutum, atque demum post illud tempus elapsum et adulta iam re publica isto praesidio fuisse munitum contendunt. Et ut omnes alios mittam, vidit et confirmat hoc suo suffragio, qui suis temporibus in hoc litterarum genere principatum obtinebat M. T. CICERO, cuius in hanc sententiam verba non dubito adicere, quod eius vnus maiorem fore, ac omnium reliquorum auctoritatem, facile video. Ita autem inquit ille *Tuscul. Quaest. Lib. I. Cap. 3.* *Iacuit philosophia ad hanc usque aetatem.* Et quamuis sint, qui philosophiam multo citius apud Romanos excultam fuisse contendunt, huiusque sententiae suae praesidium partim a Numa Pompilio, secundo Romanorum rege, partim etiam ab eorum prudentia ciuili repetunt, vix tamen vindice digna, immo nullo plane negotio transmittenda est ista opinio. Qui enim ad usque suam aetatem Romanos philosophiae operam dedisse negat CICERO, per illam non quamcunque vagam et inconditam rerum notitiam, sed ut ipse locis quam plurimis significat, *Rerum diuinarum et humanarum, causarumque, quibus haec res continentur, intelligit scientiam, de offic. Lib. II. Cap. 2. de Orat. Lib. I. Cap. 22. de F. B. et M. Lib. II. Cap. 12.* Hac autem pariter ac omni paene reliquo litterarum humaniorum genere ante Ciceronis tempora Romanos superabat Graecia, felix ista omnium liberalium artium procreatrix et parens, in quo tamen erat facile vincere non repugnantes, ut ait CICERO *Tuscul. Quaest. Lib. I. Cap. I.*



## S. III.

Igitur philosophia olim Romae ne in usu quidem, nedum in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Primi vero qui postea et circa finem saeculi ab V. C. sexti studium sapientiae in urbem intulerunt, sunt tres illi celeberrimi Graecorum philosophi CARNEADES, DIOGENES et CRATOLAUS. Etenim hi, missi ab Atheniensibus sollempni legatione ad senatum Romanum, ea quae occasione per aliquod tempus Romae degentes, cum abundarent otio, per hoc legationis suae tempus multas acroases subinde fecerunt, assidueque disseruerunt. Praestabant autem tres isti celeberrimi viri reliquos paene dixerim omnes illius aevi viros doctos ingenio, doctrina, prudentia et eloquentia, ipsis vero Romanis non alius erat gustus, quam communis ille, qui novitatis voluptate titillatur, quae res nos facile edocere potest, iuventutem Romanam in perspicendis his doctrinis philosophicis, quas isti Graecorum philosophi Romae publice atque magno cum apparatu solidioris eruditionis exponebant, omnino magnum otii sui quaevisse oblectamentum.

## S. V.

Atque ita transit quidem Romam, quae huc usque extra Graeciam vix vni aut alteri innotuerat, philosophia, sed eadem ista disciplina, qua dubito, an ulla alia ad cognitionem sit elegantior vtiliorque, apud Romanos admodum contraria experta est iudicia. Erant enim quibus utique digna videbatur, in qua ediscenda studiose elaborarent, erant vero etiam, qui omnem hanc diligentiam male turpiterque collocatam esse existimabant, et quod mirere, ita videbatur non tam turbae & imperitiae



tae plebi, inconsulte procedere solitae, sed prudentibus viris  
nobili fama et spectata grauitate. Teste enim SVETONIO  
*de Clar. Rhetorib. Cap. I. et GELLIO Noct. Attic. Lib. XV. Cap. II.*  
omnis ista res adeo parum se probauit fenatui Romano, vt M.  
VAERIO MESSALA et C. FANNIO STRADONE Coss. condi-  
tum fuerit Sctum, cuius ipsa supersunt verba sequentia

M. POMPONIVS. PRAETOR. SENATVM. CON-  
SVLVIT. QVOD. VERBA. FACTA. SVNT. DE  
PHILOSOPHIS. ET. DE. RHETORIBVS. DE. EA  
RE. ITA. CENSVERVNT. VTI. M. POMPONIVS  
PRAETOR. ANIMADVERTERET. CVRARET  
QVE. VTI. EI. E. REPVBICA. FIDE. QVE. SVA  
VIDERETVR. VTI. ROMAЕ. NE  
ESSENT

Sed bonis factum est auibus, consilio huic vt ne responderet  
euentus. Ea enim de philosophia Graecorum opinione integri-  
iuuentutis Romanae animi iam erant imbuti, vt hanc discipli-  
nam ad rem publicam administrandam quam maxime existima-  
rent frugiferam, ea que percepta omnia se in re publica conse-  
cuturos sperarent, quare ista tamquam gustatione initiati, ad  
iustam quasi coenam festinabant, illiusque dulcedine semel capti,  
per totam vitam eam versandam putabant. Haec autem  
omnia cum adulta demum immo iam canescente acciderent re  
publica, id quod ex hucusque dictis sine dubio constabit, satis  
superque patet, vtique vere dixisse CICERONEM l. c. *lacuit  
philosophia ad hanc usque aetatem.*



## §. VI.

Haec sunt origines et fata philosophiae apud Romanos; quae, tametsi non valde recondita, sed doctis potius viris tam nota sunt, quam quae notissima, ob rerum deinde dicendarum conditionem hoc tamen loco plane praeterire non potui. Quibus, quantum quidem hoc loco satis est, huc vsque expositis, transimus nunc ad ipsas istas utilitates, quas attulit philosophia ad iura et iuris prudentiam Romanam. Totius autem disputationis duo capita faciam, quorum *primo* quales et quantas utilitates ad *Iura*, *altero* vero, quasnam ad *Iurisprudentiam* attulerit philosophia et summum Romanorum sapientiae studium.

## §. VII.

In exponendis autem utilitatibus istis, quas *Iura Romana* debent philosophiae, omnium primo in mentem mihi venit illud IULII PAVLLI l. XI.  $\pi$ . de I. et I. *Ius pluribus modis dicitur*. Atque probe ego quidem scio, quam vehementer haec res tyronum animos turbare solet, sed nimis alienum ab hoc loco esse existimo, si illius expositionem longiori oratione prosequi vellem. Praeterea fecit nobis etiam hac in re otium illustre Academiae Goettingensis ornamentum GEORG. CHRISTIAN. GEBAVERVS, qui in sua de *Iustitia et Iure* conscripta Dissertat. quidquid hac de re dici potuit, magno cum eruditionis solidioris adparatu iam olim exposuit. Quare nihil amplius hac de re addimus, nisi hoc vnicum, nobis hoc loco *Ius* nihil esse aliud, quam *Lex*, quando illa in sensu generaliori dicitur, perque eam intelligitur: praeceptum commune imperantis, obligans ciues, vt ad illius normam actiones suas componant.

## §. VIII.



§. VIII.

Quaenam vero et qualis erat conditio iuris Romani eo tempore, quo philosophia e Graecia Romam translata, atque a Romanis digna habita fuit, in qua ediscenda elaborarent? Nemo est, quin sciat, ius Romanum eo tempore maxima ex parte iamiam constitutum fuisse. Etenim leges XII tab. fons omnis iuris publici ac priuati, interpretatio prudentum et disputatio fori, formulae, quibus homines inter se disceptabant et agebant, edicta magistratum, eorum aequae ac ciuium Romanorum iura, innumeris fere legibus ac plebiscitis definita, haec omnia iam diu in vrbe viguerant. Quae cum ita sint; facile vnusquisque perspicere potest, omnino parum, hactenus quidem, debere iura Romana philosophiae Graecorum, id quod iam olim obseruauit, qui hodie inter Ictos elegantiores Germaniae nostrae principatum obtinet, *Illustr. GODOFREDVS MASCOVIVS de Sect. Sabinian. et Procul. Cap. VI. §. 1. pag. 23.* Quae Ciceronem excipit aetas, et omne subsequens tempus ad vsque magnum illum iuris Romani restauratorem IUSTINIANVM, quemadmodum multis magnis que in re publica conuersionibus, ita simul tantis in Iure Romano mutationibus ferax fuit, vt vix potuisset maioribus. Ausim tamen praestare, istas mutationes tantum non omnes vix alio ex fonte promanasse, quam ex illo Solonis, Lycurgi, Romuli, Numae Pompilii, Seruui Tullii, aliorumque venerandae antiquitatis legislatorum, prudentia scilicet *ciuili* et *legislatoria*, quam sine vsu et actu rerum, sine longa et sollicita negotiorum ciuilium experientia nemo vnquam vnus, sine philosophiae cognitione vero omnes, quos antea dixi, et sexcenti alii sapientissimi prudentissimi que antiquitatis didicerunt legislatores. Itaque etiam quoad recentius hoc et ipsum adeo ius Romano Iustinianeu[m] non vereor repetere, parum illud debere philosophiae Graecorum.

B

§. VIII.



## S. VIII.

Ius autem hoc, de quo nobis sermo est, aliud est legibus iam *constitutum*, aliud vero applicatione ad facta et negotia in vita ciuili obuenientia *constituendum*. Quando igitur de iure Romano diximus, illud parum debere philosophiae Graecorum, huiusque sententiae nostrae forsitan non contemnenda dedimus argumenta, diximus ea non nisi de *iure constituto*. De *iure* vero eo tempore per adplicationem ad facta legitimum que processum *constituendo* longe alia sentimus, id que quam plurimum debere philosophiae prorsus existimamus. Cum que illud ius, quod diximus *constituendum*, tantam subinde vim auctoritatemque fuerit consecutum, ut tamquam ius constitutum et quoad subsequens tempus in perpetuum valiturum a Romanis fuerit receptum: hinc istae utilitates, quas ex hac parte attulit philosophia ad iura Romana, eo maiori cum cura exponendae sunt.

## S. X.

Vt autem eo melius perspiciamus, quales quantae que sint istae utilitates, quas hac ex parte debent philosophiae iura Romana, paucis repetenda esse videtur ratio interpretandarum legum et applicationis earum ad negotia obuenientia, qua vsi sunt Icti ante id tempus, quo philosophia Romam translata fuit. Breuiter et graphice eam exhibet CICERO *de Offic. Lib. III. Cap. 17. Nos veri, inquit, iuris germanae que iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus, umbra et imaginibus utimur. Sed quare? Cum enim, in Orat. pro Murena Cap. 12. ait, IDEM permulta praeclare legibus essent constituta; ea Ictorum ingeniiis pleraque corrupta ac deprauata sunt. - - - In omni enim iure ciuili AEQVITATEM reliquerunt, VERBA IPSA tenuerunt. Aequitatem igitur*



igitur naturalem plane negligebant Icti antiquiores Romani, atque in interpretatione legum et applicatione earum vnicte sectabantur Ius summum. Ab Aristotele illud dicitur ἀκριβοδύνατον, et Icti illud vnicte amplectentes ἀκριβοδύνατον, alias illud dicitur ius strictum, ius scriptum, subtile, extremum et inimicissimum, exactum, perdurum, rigoris plenum, iniquum. Est autem ius illud summum, quando de verbis tantum contenditur, neque spectatur, quid senserit, qui scripsit, aut qui locutus est, breuissime, ius, quod verba κατὰ τὸ ἐντὸν vrget, vt ait BALDVINVS de iuris prudentia Mucia pag. 142. quo in genere inquit CELSVS apud IVLIVM PAVLLVM l. 91. §. 3. π. de V. O. plerumque sub auctoritate iuris scientiae perniciose erratur. Sic verba syllabasque aucupabatur Aebutius apud CICERONEM in Orat. pro Caecin. qui se Caecinam deieciſſe negabat, et eiſſe tantum contendebat, quia eum tantum prohibuerat accedere, neque ille deinde fundum ingressus fuerat. Atque hoc adhibito colore interdictum de Vi et Vi armata, quo vsus fuerat Caecina ad recuperandam possessionem, elidere conabatur Aebutius, quia praetor non de Eiectione sed de Deiectione edixerat, Vnde tu, inquit l. 1. pr. π. de vi et vi armat: vi DEIECISTI, aut familia tua DEIECIT, de eo et cet. iudicium dabo.

Idem illud summum & extremum deprehendimus ius in celebri isto iudicio Curiano, de quo plura habet BALDVINVS l. c. Scilicet substitutus erat heres in eum euentum, si posthumus ante tutelae suae annos decessisset. Atque posthumus ille non est natus. Quis dubitaret, quin ea voluntas fuisset testatoris, vt substitutus non nota filio fieret heres, qui mortuo? Sed hoc non scripserat testator, inquit Scacuola, atque igitur



verbis testamenti tantum insitit, neque respicit, quid senserit, qui scripsit. Ita vero solebant veteres Icti ante tempora Ciceronis et in libera re publica. Summum semper sectabantur ius, quod cum saepissime simul inimicissimum atque perdurum esset; originem dedit trito illo sermone proverbio: *Summum ius, summa iniuria; summum ius, summa malitia est.* Hinc etiam IANVS VINCENT. GRAVINA in *Origine Iur. Ciuil. Lib. 1. §. 46.* quatuor constituens Iuris ciuilis Romani aetates, earum primam, quae statim post leges XII. tab. prodiit, et Ciceronis fere aetatem attingit, *asperam comprehendisse, ait iuris prudentiam, tenebrosam & tristem, non tam in aequitate, quam in verborum superstitione fundatam.*

### §. XI.

Sed nulla iuris ratio, aut aequitatis benignitas patitur, vti recte monet MODESTINVS l. 25. π. de LL. *vt, quae salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producimus ad severitatem.* Sequiori igitur aevo non amplius tam diligenter et callide verbis, sed aequitate Romani controuersias diiudicarunt, atque iura non litteris, sed vtilitate communi expresserunt.

*Aequitate, inquam, diiudicarunt controuersias. In omni enim Iure ciuili, ait CICERO pro Murena Cap. 12. AEQVITATEM reliquerunt, verba ipsa tenuerunt.* Sed quid quaeso est aequitas? *Magnum sane est quod quaeritur, inquit, Ictus elegantissimus CAROLVS FERDINAND. HOMMELIVS in Dissert. Pro iure summo contra aequitatis defensores, Cap. II. quia hoc totum, quale sit, sensu potius percipi, quam certa & absoluta definitione circumscribi potest. Atque ita vere est,*



est. Sed quamvis illius vocabuli notio admodum vaga et parum circumscripta sit: hoc tamen loco tantas difficultates non deprehendimus, immo potius eam satis probali et certa ratione eloqui possumus. Scimus enim malum, in dies ingravescens, quod antiquitus premebat iura Romana, atque de eo satis prolixè §. anteced. differuimus, cui, vt tandem obuiam irent; medicinam perpetuam ab *aequitate* petierunt. Igitur natura mali omnium optime naturam medicinae docet, atque demonstrat, illam iterum iterum que huc vsque allegatam *aequitatem* nihil aliud esse, quam istam animi consuetudinem, qua scriptam legem ita interpretamur, vt non verba tantum syllabas que illius aucupemur, sed, quid senserit, qui scripsit, aut qui locutus est, spectemus, quo, quae salubriter pro vtilitate hominum legibus sunt constituta, benigna hac interpretatione in eorum commodum producantur.

§. XII.

Vt autem intelligamus, non modo id, quod satis putato demonstratum, qua ratione hoc callidum & versutum ius Romanorum aequitate fuerit emendatum; sed etiam alterum, quaenam sit causa huius mutationis ad rei publicae salutem maximae et ad iuris prudentiae gloriam saluberrimae, ad eam explicandam ingrediar. Quando autem animum ad eam indagandam transfero, nullam ego aliam huius mutationis deprehendo causam, quam philosophiam. Veteres enim philosophi, praesertim ii, qui ex Academia et Lyceo prodierunt, ea opinione erant imbuti, omnium liberalium disciplinarum esse quoddam inter se commune vinculum, et quadam quasi continuatione inter se iunctas omnes esse &



implicatas. Quod cum ita existimarent, ex ea sententia etiam philosophiam a reliquis humaniorum litterarum partibus non segregabant. Exinde vero natum est philosophiae genus non iciumum et parum vtile ad vitam, sed ad rempublicam administrandam quam maxime accommodatum. Ita enim CICERO de Finib. B. & M. Lib. V. cap. 3. *Ad Academicos, inquit, et Peripateticos veteros conuerte te, quaeso, ex eorum enim scriptis et institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest; tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes extiterunt, ut ad minora veniam, mathematici, poetae, musici, medici denique ex hac tanquam ex omnium artium officina profecti sunt. Quae cum ita sint nonne maxime probabile est, eandem hanc philosophiam effecisse, ut Icti, quae salubriter pro vtilitate hominum legibus erant constituta, benigna interpretatione in eorum commodum producerent? Auget huius rei probabilitatem tempus, quo ista ad iuris prudentiae laudem maxima mutatio facta fuit. Accidit autem ea temporibus Ciceronis. Nam, ut omnes alios taceam, ab hac Ciceronis aetate secundam orditur iuris prudentiae periodum IANVS VINCENTIVS GRAVINA Orig. Iur. Lib. I. §. 46. de qua ea contendit fuisse illam superiori longe humaniorem. Demonstrauimus autem in antecedentibus, circa eadem tempora philosophiam e Graecia Romam fuisse translata, eamque a Romanis tanta cura fuisse excultam, ut CICERO de his eorum studiis philosophicis publice profiteatur Tuscul. Quaest. Lib. I. cap. I. *Meum semper iudicium fuit, omnia nostros aut inuenisse per se sapientius, quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuerent, in quibus elaborarent.* Denique, ut nihil*



nihil omittam, quod ad hanc meam sententiam comprobendam exornandam que facere potest, primus, qui apud Romanos iura aequitate temperavit, Ictus, non tantum Ictus erat eximius, sed simul etiam philosophus praestantissimus. Est autem ille SERVIVS SVELPICIVS, qui omnibus ante se Ictis veluti caliginem induxit. De eius philosophia testem habemus locupletissimum, M. T. CICERONEM in *Bruto Cap. 45.* quanta vero cura adplicuerit animum ad iura Romana aequitate temperanda, hoc idem omnium optime docet CICERO, quando *Philipp. IX. cap. 5.* ita de eo, *Non filebitur admirabilis illa et paena divina eius in legibus interpretandis aequitate explicanda scientia. Omnes ex omni aetate, qui hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si vnun in locum conferantur, cum Seruio Sulpicio non sunt comparandi. Neque enim ille magis iuris consultus, quam iustitiae fuit. Itaque quae proficiscbantur a legibus et a iure ciuili, semper ad facilitatem aequitatem que reserebat, neque constituere litium actiones malebat, quam controuersias tollere.* Haec omnia si cogitamus, nonne satis certa ratione exinde euincitur, philosophiam esse illud, vnde dedicerunt Icti: Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim et potestatem,

§. XIII.

Atque haec est ista utilitas vere magna, quam iura Romana debent philosophiae Graecorum. Quas autem utilitates attulit hoc sapientiae studium ad *Iurisprudentiam* Romanam? Longe vero maximas, quas, cum exposuerim eas, quae ad Iura pertinent, etsi forsitan multi non ignorant, tamen iis, quibus dico, de causis hoc loco a me commemorari, vtique



vtique necessarium esse existimo. Hanc autem ad rem explicandum quando me conuerto, vix opus esse puto, vt, quid sit iuris prudentia, longiori praefamine eloquar. Etenim nemo fortassis est, quin sciat definitiones iuris prudentiae tam veterem illam l. 10. π. de l. et l. quam eas, quae a recentioribus Ictis in illius locum fuerunt surrogatae. Hoc vnicum attinet dicere; nos per eam hoc loco non tam noticiam legum, aut habitum eas interpretandi adplicandi que, quam potius legum Romanarum et doctrinae inde concinnatae complexum seu systema intelligere, vno verbo ARTEM aequi et boni, vti eam l. 1. pr. π. de Inst. et Iur. dicit DOMITIVS VLPIANVS. Cum autem vix possit intelligi, quantae sint istae vtilitates, quas ex nostra sententia debet philosophiae iuris prudentia Romana, nisi nobis cognitum perspectum que sit, quaenam fuerit conditio iuris prudentiae ante id tempus, quo primum philosophia e Graecia Romam translata fuit, age, ad eam paululum explicandam ingrediar.

## §. XIII.

Diu, antequam Romani sapientiae studium dignum existimabant, in quo elaborarent, et ab ipsis regum temporibus, certe, ab ea aetate, qua conditae sunt XII tab. iuris prudentia semper in vrbe viguit. Sed qui ab initio in penetralibus suis eam repositam habebant, qui que sibi solis illius possessionem retinebant patricii, ii ex vsu et actu rerum, per longam negotiorum ciuiliu experientiam didicerant, quidquid didicerant, nunquam ex arte. His itaque temporibus iuris prudentia Romana nondum in artem erat redacta. Hoc regnum patriciorum forense recentiori aetate sustulit quidem, qui



qui primus e plebe Pontifex Maximus erat creatus, TIBERIVS CORVNCANIVS, atque primus iuris prudentiam publice professus est, teste Pomponio l. 2. §. 35. et 38. de O. I. immo; ab hoc Coruncanii tempore, teste CICERONE in Oratore ad Brutum Cap. 41. *Ius Civile docere, semper pulchrum fuit, sed omnes ii, qui docebant, vti idem refert CICERO l. c. cap. 42. nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponebant, sed eodem tempore et discipulis satisfaciebant et consulentibus.* Sic v. g. auctore CICERONE l. c. cap. 89. *Q. Scacuola P. F. nemini se ad docendum dedit tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat.* Igitur etiam hoc recentiori aevo vsu magis et exercitatione, quam doctrina ad omnem iuris cognitionem et istam de iure respondendi facultatem adspirarunt omnes, qui hodie- num e veteribus Icti cluunt. Quae cum ita sint; ipsa etiam iuris prudentia hac aetate in artis formam nondum erat redacta. Et quis tandem ex omnibus istis Ictis, qui ante saeculum ab V. C. septimum inclaruerunt, potuisset in artis atque doctrinae solidioris formam redigere immensum istum aliarum super alias aceruatarum legum Romanarum cumulum? Nam nihil est, inquit CICERO de Orat. Lib. I. cap. 41. *quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, qui illa tenet, quorum artem instituire vult, habeat illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit.*

§. XV.

Ast, quae tandem est ista scientia, quae docet, ex iis rebus, quarum ars nondum est, artem efficere? CICERO de eal. c. ita ait: *Omnia fere, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa & dissipata quondam fuerunt. - - - Adhibita est igitur ars quaedam extrinsecus, ex alio ge-*

C

neri



vere quodam, QVOD SIBI SOLVM PHILOSOPHI ADSVMVNT, quae rem  
dissolutam diuisam que conglutinaret et ratione quadam constringeret.  
Quibus verbis Cicero istam, quam quaerimus, artem ex eo ge-  
nere esse dicit, quod sibi solum philosophi adsumunt, atque sine  
dubio per id genus nihil aliud, quam philosophiam ipsam, per  
istam vero artem ex ea adhibitam, quae rem dissolutam diuisam  
conglutinaret, illam intelligit philosophiae partem, quae  
dicitur Instrumentalis et Logica. Haec omnia, quando cogi-  
tamus, cognitam perspectamque non tantum habebimus condi-  
tionem et indolem iuris prudentiae antiquioris Romanae, atque  
etiam morbum, quo misere decumbebat disciplina vtilissima,  
sed discimus exinde simul, solam philosophiam contra eum prae-  
bere posse medicinam perpetuam. Neque vero tantum potuit  
philosophia, sed etiam vere praebuit hanc medicinam. Idem  
autem summus Ictus, SERVIVS SVLPICIVS, quem primum  
diximus ope philosophiae iura Romana aequitate temperasse,  
eadem Iura dispersa antea et dissipata, ministrante eodem sub-  
sidio, primus ratione constrinxit, et in artis solidioris formam re-  
degit. Habemus huius rei testem locupletissimum M. T. CICE-  
RONEM, cuius verba, quamuis paullulum proluxa hoc loco ad-  
dere iuuat. Ita autem hac de re loquitur in Bruto Cap. 45. Sic,  
Brute, existimo, Iuris ciuillis magnum VSVM et apud Scaeuolam et  
apud multos fuisse, ARTEM in hoc vno Seruio Sulpicio, quod nunquam  
effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam praeterea didicisset artem, quae  
doceret rem vniuersam tribuere in partes, latentem explicare definiendo,  
obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde  
distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur,  
& quae, quibus positis, essent, quae que non essent consequentia. Hic  
enim attulit hanc artem omnium artium maximam quasi lucem ad eas,  
quae confuse ab aliis aut respondebantur aut agebantur.

§. XVI.



S. XVI.


Sic igitur exposui omnes istas utilitates, quas attulit philosophia ad iura et iuris prudentiam Romanam, neque opus esse puto, ut longiori oratione demonstrarem, eas singulas ad rei publicae salutem et iuris prudentiae gloriam fuisse maximas et saluberrimas. Effecerunt tamen hae dictae utilitates, ut, qui post restauratas litteras animum ad iura Romana enucleanda adplicarunt, serenioris frontis Icti existimarent, nisi in consilium adhiberemus accuratam veteris philosophiae cognitionem, solide ea non posse explicari. Cum autem simul perspicerent, qui ita existimabant, Icti, veteres philosophos Graecos hinc inde quam maxime a se inuicem recessisse, hunc autem dissensum iam olim innumeras paene produxisse diuersas sectas atque familias, cum intelligerent, ex his veterum philosophorum familiis praesertim quatuor istas celebriores, Academicam, scilicet, Peripateticam, Stoicam et Epicuream Romae postea inelaruissē: rem ulteriori disquisitione utique dignam existimauerunt, cuiam ex his quatuor familiis potissimum se consecerint ii, qui olim e Romanis id in primis dabant operam, ne a philosophiae praesidiis destituti, Themidis sacra attingerent. Habet haec disquisitio laudem, utilitatemque summam, utique si audias eos, qui sapienter a quaestu separant nomen eruditionis. Nunquam vero satis mirari potui, qui tandem factum sit, ut ex innumeris istis et praestantissimis viris, qui in componenda hac quaestione elaborarunt, si a *Paganino Gaudentio* paucis que aliis secesseris, reliqui tantum non omnes eam foueant, amplectantur, atque propugnent opinionem, *Stoicae* veterum philosophorum sectae vel soli plerisque Ictorum Romanorum vnice adhaesisse. Ita *CVIACIVS*, *ED.*





MVNDVS MERILLIVS, M. AVRELIVS GALVANVS aliique plures, qui omnes in iure nostro consules sine collega dici merentur. Cumque minorum gentium Icti se vtplurimum exemplo maiorum tueri soleant; hinc ipsa adeo plebs Ictorum, ita in vulgus manavit ista sententia, etiamsi, quid sit stoica philosophia, turpiter ignorant, stoicos tamen fuisse veteres Ictos Romanos tantum non omnes ambitiose contendunt. Neque ego negare possum, hanc sententiam, cum eam Icti praecipuae dignitatis, et tales, qui sancti patres in iure habentur, tractarint, adeo decora veste fuisse circumdatam, ut exinde amabilis fuerit facta. Sed detrahamus eorum expositionibus rerum copiam et orationis ornatum tanquam corpori carnem et sanguinem, consideremus ipsam, de qua dicitur, rem, illiusque veritatem et rationem, et nisi me omnia fallunt, vnus quisque perspiciet, coniecturas istas omnes maxime esse ambiguas, et ne quid grauius dicam, inter aientium et negantium dissidia suspensas, quibus proinde ego, quanquam hoc loco dissensus mei causas addere nequeo, dicere nunquam possum;

*Tu mihi sola places.*



COROL.



✻ ✻ ✻

## COROLLARIA

I.

**I**llustris IOANNES GOTTLIEB HEINECCIUS quando in *Hist. Iur. de Origine Sectarum earum que auctoribus Laeone et Capitone loquitur, ad §. CXCIV.* ita ait: *Mirum profecto est, hos Iurisconsultos tam non modo inter se, sed et a se ipsis discessisse, ut alia principia in republica, alia in iuris prudentiae studio sequerentur. In re publica LABEO tantum abest, ut noua probaret, ut nihil ratum pensum que haberet, nisi quod iustum sanctum que esse in antiquitatibus Romanis legisset. GELL. Noct. Att. XIII. 12. Contra ATEIUS CAPITO accommodato dominantibus ingenio facile omnia, quae Augustus de nouo instituebat, probabat. At in iuris prudentia LABEO nouator erat, ATEIUS ea, quae a maioribus tradita acceperat, mordicus tenebat. Sic saepe maximos etiam viros alio ingenio domi, alio in re publica esse animaduertimus. Haecenus HEINECCIUS, valde dubito, an recte. Etenim Laeo, auitae et incorruptae libertatis propugnator acerrimus, sicuti nullam elabi patiebatur occasionem, odium aduersus principatum prodendi, ita etiam libera volebat esse iura. Hinc Pomponius l. 2. §. 47. de O. I. Laeo ingenii qualitate et fiducia doctrinae, qui et ceteris operis sapientiae operam dederat, plurima innovare instituit. Q. Antistius Capito vero, qui tempore et scenae seruiebat, atque pristinae libertatis adeo immemor erat, ut se ad feruilem paene adulationem demitteret, nihil suscipiebat, nisi quod Augusto rectum iustum que futurum probe intelligebat. Libertatem igitur istam, qua Icti superiores, atque Laeo adhuc dum, in inter-*




pretando iure Romano vti fuerant, et quam a legislatoria potestate parum recedere perspiciebat, plane reprobabat, et vt ait Pomponius *l. c. in his, quae ei tradita fuerant, perseverabat, ratus*, si quae essent, quae emendatione aut abrogatione indigerent, ea non nisi ab Augusto emendanda abrogandaque esse. Vterque igitur horum virorum, vti ego quidem existimo, eadem principia in re publica, eadem in iuris prudentiae studio est secutus.

## II.

Quid sit Ius, quod natura omnia animalia docuit *l. r. §. 3. π. de I. I. et quod naturalis ratio inter omnes constituit, quod quae apud omnes per aequae custoditur l. 9. π. eod. illud multi quidem serio, pauci tamen satis perspicue explicarunt. Dicam, quid ego hac de re sentiam, sed paucis. Stoici, qui tamen haec, vt alia plura, ex Academia atque Lyceo adoptarunt, et hinc inde suis tantum principii accommodarunt, Stoici, inquam, hominem ex tribus consistere partibus existimabant, Corpore, Animo, Mente. IACOB. BRUCKERVS *Hist. Crit. Philos. Tom. I. p. 960. n. 26.* Animus, de corpore enim non attinet dicere, ex eorum sententia est particula essentiae diuinae siue animae mundi BRUCKERVS *l. c. Tom. I. pag. 950. n. 68.* Hic autem animus, vel natura, vt etiam dicitur, hominibus nequaquam proprius, sed omnibus rebus, animatis & inanimatis communis est. Omnes enim totius mundi partes penetrat iste Stoicorum Deus tantquam anima mundi. *Idem loc. eod. pag. 928, 29. n. 15. 16.* Atque idem ille animus est principium cognoscendi Iuris naturae, quare illud VLPIANVS definit *l. i. §. 3. π. de I. et I. per Ius,*  
quod*



quod NATURA, id est particula illa essentiae diuinae, quae in homine deprehenditur, omnia ANIMALIA docuit. Neque enim in homine tantum deprehenditur ista essentiae diuinae particula, sed etiam in omnibus reliquis rebus creatis. Hinc ergo addit VLPPIANVS l. c. prioribus: *Nam ius istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quae in terra, in mari nascuntur, auium quoque commune est.* Etenim illius principium cognoscendi iis omnibus commune est. Tertia pars hominis mens siue ratio ex sententia Stoicorum hominibus propria est, perque eam potissimum discernuntur homines a reliquis animalibus. BRUCKERVS l. c. Tom. 1. pag. 960 n. 26. Haec autem mens vel ratio est principium cognoscendi iuris Gentium, quare CAIUS l. 9. π. de I. et I. illud esse dicit: *Ius, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit.* Atque igitur illud non a natura deriuat, vt ius naturae VLPPIANVS, sed a ratione, neque ad omnia animalia pertinere contendit, sed solis hominibus inter se commune esse ait, quia principium cognoscendi vnice illis proprium esse huc vsque docuimus.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Leipzig, Diss., 1753

X 237 3094

ULB Halle  
007 231 946


3











B.I.G.

Farbkarte #13

ERTATIO ACADEMICA *No: 927,*  
DE *1753, 16.*

LITATIBVS  
TVLIT PHILOSOPHIA  
RA ET IVRISPRVDEN  
TIAM ROMANAM

QVAM  
S IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDE  
INO GOTTLIEB  
PAVLI

R. VTR. ET PHILOS. DOCTORE  
. MENS. APR. A. O. R. MDCCLIII.  
CO ERVDITORVM EXAMINI

SVMMITTIT  
RESPONDENS  
VS RINGELTAVBEN  
THORVNO PRVSSVS.

LIPSIAE  
GEO. WILH. POUILLARD.

*L. Müller*